



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

71. Iolendis Marchionissa & Comitissa Namurcensis, ad Imperij Constantinopolitani coronam, cum Petro marito suo, euocata, cedit Philippo filio suo Comitatum Namurcensem, an. 1216.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

Acta sunt hæc anno gratiæ millesimo ducentesimo sexto decimo, pontificatus nostri anno primo.

NOTATIONES.

VALLIS DEI,) Gallicè *Vaux Dieu*, Flandricè *Godefdale*, sita est medias inter filuas, in confinibus Ducatus Limburgensis & Comitatus Dalhemienfis, in agro nobis Transmotano.

S. ENGLBERTVS) A. Coloniensis & martyr, teste Cæsario, fuit frater Adolphi Comitis Montensis ad Rhenum; cuius filiam & heredem duxit Henricus IV. Dux Limburgensis: vt supra lib. 1. cap. 88. & lib. 2. cap. 49. diximus.

CAPVT LXXI.

Iolendis Marchionissa & Comitissa Namurcensis, ad Imperij Constantinopolitani coronam, cum Petro marito suo, euocata, cedit Philippo filio suo Comitatum Namurcensem, an. 1216.

EGO IOLENDIS, Comitissa Antisiodorensis & Marchionissa Namucensis, notum facio vniuersis præsentibus & futuris, quod cum terram meam Namucensem, cum integritate feodi, dedissem PHILIPPO filio meo in proprietate; retinui mihi de ipso feodo, assensu eiusdem filij mei, in redbus Binciensibus, quindecim libras denariorum, annuatim conferendas ad voluntatem meam in eleemosynam, & percipiendas omni anno in Purificatione beate Mariæ.

Institui quidem Capellaniam perpetuam in ecclesiæ B. Albani Namucensis altari, ante sepulcrum germani mei Philippi, quondam Marchionis Namucensis, pro ipsius & mea, & viri mei Petri Comitis Antisiodorensis, & parentum meorum salute. Beneficium igitur illud conferendum semper sacerdoti, qui in propria persona prædicto altari deseruiat, in Missa pro fidelibus defunctis. Salua semper illa Missa, quam prædictus germanus meus ibidem instituit cum annuo beneficio XV. librarum.

Hi verò duo Capellani Horis conuentualibus in eadem ecclesia tenentur

tenentur interesse: sed neuter eorum ad celebrationem maioris Missæ cogendus est.....

Satis dictus quippe filius meus, de tota terra Namucensi, cum integritate feodi, & dominio eiusdem terræ, bene & legitimè adheredatus, satis dictæ Capellanæ institutionem, modo quo prædictum est, approbavit, & sigillo suo, cum mei sigilli confirmatione, diligenter roboravit. Actum anno Verbi incarnati millesimo ducentesimo sexto decimo. 1216.

N O T A T I O.

Ex hoc diplomate datur intelligi, IOLENTAM, eiusque maritum Petrum Autisiodorensis, non nisi annis quattuor possedisse Comitatum Namurcensem, & anno millesimo ducentesimo sexto cessione Philippo filio dictum Comitatum seu Marchiam Namurcensem, paulò antequam Romã proficiscerentur, ad suscipiendam coronam Imperij Constantinopolitani ex manibus Pontificis Maximi. Quod nota contra Meierum, qui ad an. 1225. hæc refert.

C A P V T L X X I I.

Philippus illo nomine secundus Marchio Namurcensis, Petri Imp. Constantinopolitani & Iolendis Comitissæ Namurcensis filius, Namurcensem S. Albani ecclesiam dotat,
an. 1221.

EGO PHILIPPVS Marchio Namucensis omnibus, tam futuris quàm præsentibus, paginam hanc inspecturis, notum facio, quòd pro animabus PETRI bonæ memoriæ Imperatoris Constantinopolitani, patris mei, & IOLENDIS Imperatricis, matris meæ, & antecessorum meorum, ecclesiæ S. Albani Namucensis, in elemosynam perpetuam, affectu benigno, contuli omnes calceos, qui mihi debebantur omni anno, duobus terminis de stallagio Namucensi;

Saluis tamen illis calceis, qui de iure debentur Scabinis Namucensibus, & tribus horoscopis, duobus portarijs castri, & duobus præconibus villæ, saluis quoque alijs calceis, si qui iudicio Scabinorum Namucensium aliàs de iure debeantur.

A a a

De